# THESES THEOLOGICAE DE

*Prædestinatione & vtraque illius specie, Electione ac Reprobatione,*

*De quibus, Deo iuuante, sub præsidio Reuerendi & Clarissimi Viri,* D. THEODORI BEZÆ, *Professoris ac Ministri Genevensis, in Gymnasio Genevensi a. d.* XII. *Kalend. Septemb. respondurus est* IOHANNES POLYANDER *junior Merensis.*

CIↃ. IↃ. XC.

GENEVAE.

REVERENDO ET CLARISSIMO viro, Domino Iohanni Taffino, Eccleſiæ Gallicobelgæ, quæ eſt Harlemi, Paſtori vigilantiſſimo, Domino & Patrono ſuo ſemper honorando.

*Hæc de Conſiliis Dei æuiternis,*
*Quam* TAFFINE *tibi dico, Synopſis,*
*Non eſt ſollicitâ polita curâ,*
*Néve acumine tincta, ſed Mineruâ*
*Pingui, confiteor, rudiq; ſcripta.*
*Quin indigna oculis tuis acutis,*
*Nec non auribus eſt pereruditis.*
*Cur ergo hanc tibi dedico ſynopſin,*
*Vir clariſſime? Te mei Patronum*
*Amantem eſſe ſcio. Quod ominari*
*Seu prædicere me facit, tuendi*
*Te mei ſtudio meiq; honoris,*
*Quem fœtum exhibeo tibi, benignâ*
*(Quamuis ſit malè natus) ac amicâ*
*Sumpturum facie, manuq; promptâ.*

Tui obſeruantiſſimus
Ioh. Polyander Met.

THESES

# DE PRAEDESTINATIONE, ET VTRAQVE ILLIVS SPECIE,

*Electione nimirum, & Reprobatione.*

## THESIS I.

HOC est de necessitate doctrinæ de Prædestinatione, illiusq; duabus speciebus, Electione videlicet ac Reprobatione inter pios & modestos facilè conuenit, atque ex S. Scriptura satis constare potest quid de ea sit sentiendum: quia tamen de hoc argumento varii variè disputant, non incommodum futurum est, si de eo priùs aliquid adferamus, quàm ad præcipuum nostræ disputationis thema veniamus.

II.

Necessaria igitur hujus dogmatis est explicatio, tùm propter Dei gloriam, tùm propter nostram proximiq; nostri ædificationem.

III.

Nam primùm hæc inenarrabilem Dei gloriam maximè illustrat, quotiescumque nos commonefacit ab illius misericordia dependere totam nostram salutem: ac contrà à nobis nihil præter miseriam aut perditionem proficisci.

IIII.

Deinde nostras & aliorum (intellige domesticorum Dei) conscientias variis consolationibus erigit, & aduersus quaslibet Satanæ tentationes de salutis nostræ certitudine confirmat, quando basin illius in æterno & immoto Dei consilio positam esse commonstrat.

V.

Quæ causa est cur Spiritus S. hanc doctrinam quibusuis tradiderit per Prophetas & Apostolos suos, atque etiamnum tradi velit, non solùm à Doctoribus ad literatos, verumetiam à Pastoribus ad idiotas; mo-

dò hoc ſobriè & prudenter ſeu ad ædificationem faciant.

VI.

Sobriè quidem de hoc adorando potiùs quàm curiosè excutiendo myſterio diſputabunt Eccleſiæ Doctores atque Paſtores, quando non ex carnis ſenſu, ſed ex ſolo Dei verbo de eo loquentur; atque iis finibus ſeſe continebunt, in quibus præcipuus Doctor noſter Spiritus S. conſiſtit, nosq; omnes ſuo exemplo conſiſtere jubet.

VII.

Prudenter item de eodem myſterio diſſerent, quando perſpicuam aliquam ſanorum verborum ὑποτύπωσιν ac præterea methodum adhibebunt ad docendum, ad monendum, atque conſolandum accommodatiſſimam; qualem nobis duplicem Apoſtolus Paulus in ſuis Epiſtolis proponit, συνθετικὴν ſcilicet & ἀναλυτικήν.

VIII.

Συνθετικὴν autem hîc appellamus, eam quæ eſt à priori, ſeu quæ à cauſis ad effecta deſcendit, qua vtitur Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Epheſios, vbi nobis ſpiritualium, quas à Deo per Chriſtum obtinemus, benedictionũ fundamẽtum explicaturus, de Electione illiusq; cauſis priùs agit, quàm ad ejuſdem fructus ſeu effecta dilabatur; qualia ſunt externa per Euangelium vocatio, interna per Spiritum adoptionis tractio: item juſtificatio, ſanctificatio, & alia ſimilia teſtimonia quæ noſtram Electionem in nobis firmam efficiunt.

IX.

Ἀναλυτικὴν deinde vocamus eam methodum quæ eſt à poſteriori, ſeu quæ ab effectis ad cauſas aſcendit, qua vtitur idem Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, vbi, poſtquam de juſtificatione per fidem, de ſpe, atque fructibus illius diu multumq; diſſeruit, ad ipſam denique prædeſtinationem aſcendit, quæ ſupremum noſtræ per fidem juſtificationis atque ſpei principium in ſeſe comprehendit.

X.

Ex quibus omnibus apparet illius methodi finem præcipuum eſſe ſcientiam, hujus verò conſolationem atque confirmationem in fide, ſpe, patientia, cæterisq; virtutibus Chriſtianis.

XI.

Nos autem, vt qualemcunque hujus arcanæ doctrinæ ſcientiam conſequamur, in illius tractatione ſecundùm priorem methodum progrediemur, atque ideò primo loco de Prædeſtinatione & illius ſpeciebus, ſecundo verò de teſtimoniis ſeu effectis earum diſſeremus.

XII.

*Aug. de bono Perſeu. c. 17. Prædeſtinatio nẽ appellat ſanctorum operũ diſpoſitionem.*

Prædeſtinatio itaque Dei in genere conſiderata nihil aliud eſt quàm decretum illud firmiſſimum ac æternum, quo Deus cuncta, prout ipſi placuit, & ſingulariter & vniuerſaliter ab æterno præordinavit, atque nunc in tempore per cauſas à ſe conditas aut directas ad nominis ſui gloriam exſequitur.

XIII.

XIII.

Sed quoniam vſus obtinuit, vt Prędeſtinatio in generis humani gubernatione potiſſimùm ſpectetur, nos eam ſic definimus, vt dicamus eſſe æternum & immutabile decretum, omnes ſalutis atque damnationis cauſas ordine antegrediens, quo Deus ſecundùm voluntatis ſuæ beneplacitum aut præſcitum conſtituit in aliis quidem per Chriſtum ex mera gratia ſeruandis, in aliis autem per Adamum atque ſemetipſos juſto ſuo judicio damnandis glorificari. Quæ deſcriptio cauſalis paucis eſt explicanda.

XIIII.

Genus itaque prædeſtinationis eſt decretum Dei, quod æternum [1] ac immutabile [2] cum S. Scriptura vocamus, quæ præterea docet omnia quæ in Deo ſunt, eſſe æterna & immutabilia [3].

[1] *Rom.9.11. Eph.1.4. 2. Tim.1.9.*
[2] *Rom.9.6.11.*
[3] *Iacobi 1.17. Mal.3.6.*

XV.

Secundò, cauſæ illius ſupremæ vel remotiſſimæ duæ ſunt, efficiens nimirum, quæ eſt præſcitum Dei [1] ſeu voluntatis ipſius beneplacitum [2], & finalis, quæ eſt gloriæ ejuſdem per Miſericordiam atque Iuſtitiam patefactio.

[1] *Rom. 8.29.*
[2] *Rom.11.2. 1. Pet.1.2. Act. 2.23.*

XVI.

Quas duas cauſas ſupremas aut remotiſſimas appellamus, inferiorum aut propinquiorum reſpectu, quarum interuentu Deus ſuum illud propoſitum & in gratuitò ſeruandis & in juſtè reprobandis exſequi ſolet. Vnde fit, vt hæc Prædeſtinationis media ſeu mediæ cauſæ à nonnullis Theologis appellentur.

[3] *Eph.1.5.11.*

XVII.

Sunt autem iſtæ cauſæ duûm præcipuè generum. Nam aliæ in ipſo Deo, aliæ in hominibus conſiderantur, & quidem vtræque duplici differentiâ. Siquidem aliæ ſeruandis atque damnandis ſunt communes, aliæ autem iiſdem propriæ ſeu peculiares; de quibus poſteà ſuo loco trademus.

XVIII.

De communibus autem hîc obſeruandum eſt, in Deo quidem & à Deo eſſe creationem hominis ad imaginem ſuam, ac externam ejuſdem, ſed corrupti, per Euangelium de Chriſto Redemptore vocationem: in homine verò vel ab homine ſpontaneam ac merè liberam totius iſtius imaginis corruptionem, quæ totum quoque hominem perdit, niſi per gratiam Chriſti Redemptoris ab iſta ſuo tempore liberetur.

XIX.

Porrò ſpecies Prædeſtinationis duæ ſunt, quarum vna Electio, altera Reprobatio, per Metonymiam effecti, nominatur. Nam Electio & Reprobatio propriè acceptæ referuntur ad genus humanum jam à Deo conditum & proprio ſuo vitio corruptum; nihilq; aliud ſignificant, quã temporalem hominum vel electionem ex hoc mundo [1], vel abdicationem à participatione ſalutis æternæ. Sed hîc Electionem & Reproba-

[1] *Ioh.15.19.*

[2] *Eph.* 1. 4. tionem ex vſu Scripturæ [2] Metonymicôs accipimus pro ipſo eligendi aut reprobandi decreto.

XX.

Duas autem Prędeſtinationis ſpecies eſſe dicimus & non plures, quia duo tantùm ſunt hominum ordines, quorum alii ſunt electi, alii rejecti[1], medii verò nulli.

[1] *Rom.* 9. 22. 23. *Matt.* 24. 40. & 25. 32. & *ſequentib.*

XXI.

Quod ipſum & Electionis vocabulum indicat [2], & exempla Caini ac Abelis [3], Iſmaëlis [4] ac Iſaaci [5], Eſaui [6] denique atque Iacobi [7] ſatis oſtendunt; quos nobis ceu typos generis humani à Deo prædeſtinati S. Biblia proponunt.

[2] *Deut.* 7. 6. *Ioh.* 15. 19. [3] *Gen.* 4. 5. & *ſequent.* [4] *Gen.* 16. 12. [5] *Gen.* 21. 12 *Gal.* 4. 25. & *ſeq.* [6] *Gen.* 25. 33. *Heb.* 12. 16. 17 [7] *Gen.* 27. 22 &c. *Pſ.* 105. 6. *Mal.* 1. 2. *Rō.* 9. 13.

XXII.

Eſt autem Electio Prædeſtinatio ſaluifica ſeu Prędeſtinatio ad vitam & ſalutem æternam, qua Deus pro beneuolo affectu ſuæ voluntatis [8] certos aliquos homines, quorum numerum ipſe nouit [9], ante jacta mundi fundamenta ſeu ab æterno gratis in Chriſto ſelegit, vt nos olim ad laudem glorioſæ ſuæ miſericordiæ glorificaret.

[8] *Eph.* 1. 4. [9] *Luc.* 10. 20 *Ioh.* 10. 27. & 13. 18. 2. *Timot.* 2. 19. *Quod etiã indicãt dicta de libro vitæ Ex.* 32. *Pſ.* 69. *Eſa.* 4. *Dan.* 12 &c.

XXIII.

Primùm ergo genus Electionis eſt Prædeſtinatio [1], quam ſuprà definiuimus; cujus differentiam ſpecificam à proprio ipſius fine vel efficientiâ deinde circumſcribimus, quum addimus hanc Electionem eſſe Prædeſtinationem ſaluificam ſeu Prædeſtinationem ad vitam & ſalutem æternam. Quâ differentiâ hæc à Reprobatione diſcernitur, quæ, ſicuti ſtatim audiemus, eſt Prædeſtinatio ad perditionem & mortem.

[1] *Quod patet ex Act.* 1. 25 & 4. 28. *Ité ex Aug. Enchir. c.* 100.

XXIIII.

Poſteà cauſa efficiens προκαταρκτικὴ, quæ ſola Deum mouit vt aliquos homines eligeret, eſt beneuolus affectus ſuæ propriæ voluntatis [1]; nullamq; aliam S. literæ commonſtrant.

[1] *Eph.* 1. 5.

XXV.

Proinde fallunt atque falluntur ii qui cum Pelagianis aut Semipelagianis aliam aliquam Electionis cauſam extra Deum quærunt, in ipſis ſcilicet hominibus, aut præuiſis bonis eorum operibus, tam internis, quàm externis.

XXVI.

Cæterùm, quanquam ex ſolo paternę ſuæ voluntatis propoſito Deus ſuos ad vitam æternam elegit; ſine mediis tamen hoc decretum exſequi noluit [2], ſed contrà certas quaſdam cauſas illi ſubordinauit, quarum medio ſuos electos ſeruare conſtituit: cujuſmodi ſunt, in Deo quidem vocatio efficax ad Chriſtum, in hominibus autem ſeruandis ipſa fides cum ſuis effectis: quorum omnium fons [3] eſt Mediator & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, ſine quo tanta vnio inter Deum eligentem atque populum electum coire non potuiſſet. Quâ etiam ob cauſam omnes ii quos Deus Pater, Filius, & Spiritus S. ad ſalutem æternam præordinauit, in Chriſto προορίσθησαν peculiariter electi dicuntur [4].

[2] *Rom.* 8. 29. 30. *Eph.* 1. & 2. *Phil.* 1. 29 2. *Tim.* 1. 9. [3] 1. *Pet.* 1. 20. 21. [4] *Eph.* 1. 4. 10

XXVI

XXVII.

Postremò finis Electionis proprius, si Deum ipsum spectaueris, est celebratio gratiæ seu misericordiæ Dei [1] gratuitò certos quosdam, quos ipsi visum est, eligentis. Sin verò fideles, est eorum glorificatio [2], quæ gloriæ Dei (sicut & reliqua omnia quæ in fidelibus sunt beneficia) tanquam vltimo seu principali suo fini subordinatur.

[1] *Eph.* 1. 6. 11. *Rom.* 9. 23.
[2] *Rom.* 8. 30. *Matt.* 25. 34.

XXVIII.

Verumenimuerò diligenter hîc obseruandum est, fideles non tantùm ad istos duos fines, sed etiam ad certa quædam media fuisse prædestinatos, per quæ Deus Electionem suam in ipsis patefaciat, id est, (vt cum Apostolo synecdochicè loquar) ad vocationem, justificationem, & sanctificationem [3]: qui sunt quasi gradus per quos Deus ad nos deorsum ex alto descendit, & nos è conuerso sursum ad ipsum & ipsius Electionem assurgere oportet, vt ibi fixa nostræ πληροφορίας atque spei anchorâ firmiter in hoc firmissimum Dei consilium de nostra saluto recumbamus, ac proinde de illa plenè persuasi certiq; simus.

[3] *Rom.* 8. 30. *Eph.* 1. *& seq.*

XXIX.

Ex quibus intelligimus quàm à veritate aberrent tùm Libertini, qui Christianos sine mediarum causarum interuentu saluari posse existimant, tum etiam Scholastici, qui eosdem de sua Electione dubitare volunt, nisi per extraordinariam aliquam Dei reuelationem de ea certiores facti fuerint. Atque hæc de Electione dicta sufficiant.

XXX.

Sequitur jam Reprobatio, quæ est Prædestinatio ad interitum, qua Deus secundùm vnicum idq; liberrimum ac justissimum voluntatis suæ propositum, eos, quos non elegit, æternæ morti destinauit ad laudem glorioſæ potestatis atque justitiæ suæ. *Rom.* 9. 17. 21.

XXXI.

Quum solo [2] Dei proposito quosdam homines ab æterno reprobatos fuisse dicimus, omnem hinc ἀπιστίαν aut contumaciam præuisam excludimus, quod ad illius decreti causam προκαταρκτικὴν attinet.

[2] *Rom.* 9. 11. 12. *& 11.* 32. *& seq.*

XXXII.

Deinde, quamuis hanc infidelium ἀπιστίαν atque peruicaciam ex numero causarum Reprobationis excludamus, non tamen ex illius effectis excludimus, quorum medio Deus hoc suum decretum in damnandis exsequi voluit, atque nunc, prout voluit, exsequitur: Sed è contrario obstinatam illam impietatem atque malitiam Reprobationis consilio subordinamus; quemadmodum & eorundem indurationem, quam Dei derelictio non quidem tempore, sed ordine tantùm antegreditur.

XXXIII.

Prætereà quum propositum hoc liberrimum atque justissimum [3] appellamus, id duabus præcipuè de causis facimus: quarum vna est, quia summum jus est Deo creatori in res omnes à se creandas, quo jure abuti ne velle quidem potest, quum voluntas ejus sit vnica omnis æqui justiq;

[3] *Rom.* 9. 20. 21. 22. 23.

ſtiq; regula: vt meritò pudere oporteat homines hîc reſponſantes, perinde ac ſi lutum ſibi judicis partes arrogaret.

XXXIIII.

Altera eſt, quia Deus Opt. Max. quanquam certos aliquos homines, quos ipſi libuit, ex mero ſuo beneplacito, perpetuo odio vel exitio deſtinauit, eos tamen reipſa non odit neque perdit, niſi hoc ipſum ſuâ ipſorum induratione ſeu indomita contumacia promeruerint.

XXXV.

Itaque gloria Dei vel illius manifeſtatio non minus eſt Reprobationis finis, quàm ipſius Electionis: Ac propterea noſtrum hîc eſt cum timore ac tremore conſiderare, nec non agnoſcere, non ſolùm quale ſit Dei Omnipotentis in impiorum rejectione judicium, verùm etiam quanta ſit ejuſdem in noſtri Electione Miſericordia; quos nimirum indignos, è grege perditorum ſeligere & ad beatitudinem æternam inſtaurare dignatus fuerit.

Ipſi igitur ſoli ſit honos & gloria
in ſecula ſeculorum.
Amen.

# Oratio

## IN HONOREM DOMINI PHILIPPI MELANTHONIS DE MAGNITVDINE

rerum diuinarum & politicarum, quæ in Chronico eius continentur,

*Scripta & publicè habita Vitebergæ*

A

M. ANDREA FRANCKENBERGERO, Antiquitatis & Historiarum Professore.

*VITEBERGÆ*
*TYPIS CRATONIANIS*
*Anno 1589.*

# DEDICATA STVDIOSIS

PIETATIS ET OPTIMA-
rum disciplinarum in Acade-
mia VVitebergensi.

# ORATIO.

CVM IN MORE, INstitutoq; maiorum noſtrorum poſitum ſit, vt diſcentes ad ſummum in Theologia, Iuriſprudentia & alijs diſciplinis ſtudiũ cohortentur, Antiquitatem hoc tempore, & Hiſtorias, quæ non tantùm ad pietatem alendam, & iudicium in ætate lubrica conformandũ, verumetiam ad vitam cum laude regendam maximè conducunt, iuuentuti commendatiores reddere non abſurdũ videtur. Primò n. nemo dubitat, vtiliſſimũ fore res valdè illuſtres, et moribus hominum accommodatas, Eccleſiæ ac imperiorũ temporibus accuratè deſcriptis, animo complecti, & ad præſentem ſtatum, deliberationesq; traducere. Deindè hac ſcientia nulla vitæ pars, neq; publica, neq; priuata carere poteſt: atq; ex ea tanquam ex fonte diuite ac perenni omne genus artium vberrime promanat. Quam quidem ob cauſſam digniſſima eſt, vt in ea percipienda quam plurimum operæ, laboris & induſtriæ collocetur. Etiamſi autem fateor, meam orationem tenuiorem eſſe, quàm vt amplitudini iſtius argumenti reſpondeat: tamen omnibus viris bonis, qui in Academia verſantur, officy ratio neceſsitatem dicendi imponit, neq; quenquam eſſe tam ignarum vitæ humanæ arbitror, qui id reprehendere queat. Quapropter ne diſcentibus deeſſe videar, aliquot in eo genere orationes, & quidem in gratiam

*adoleſcentiæ habiturus ſum, quæ vt finem ſuum aſſequantur, Deum Optimum Maximum, patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ardentibus votis oro.*

*Primùm autem de magnitudine rerum diuinarum, humanarumq́ in Chronico Domini Philippi Melanthonis, communis noſtri Præceptoris, verba facere in animum induxi.*

In Chronico Philippico duæ res ſummæ continentur: Relligionis & imperiorũ deſcriptiones.

*Ad hanc verò potiſſimùm quod attinet, perſuaſum habemus, nemini eſſe obſcurum, duas res ſummas in eo contineri, relligionis & imperiorum deſcriptiones, quarum conſideratio naturis generoſis digniſſima eſt. Sed inter has prior posteriori longè antecellit. Quid enim eſt magis pium, honeſtum, frugiferum & fructuoſum, quàm noſſe eſſentiam & voluntatem diuinam, quæ ſola cauſam præbuit, vt in veteri Teſtamento Hiſtoriæ initium fieret: memoria verorum cultuum conſeruaretur, & pietas in animis mortalium confirmaretur. Etenim hoc conſilio mundi primordia & incunabula, hominum creatio, lapſus, & inſtauratio generis humani: patefactiones item ac promiſsiones diuinæ literis, memoriæq́ proditæ ſunt. Moyſis autem, Prophetarum, & Euangeliſtarum narrationes in Schola ſancti Spiritus natæ ac elaboratæ, totius relligionis Chriſtianæ fontes complectuntur: & in maximo ſemper precio habitæ ſunt, ita vt ab exteris quoque vehementer expeterentur: & non ſolum Flauius Ioſephus in populo Iudaico, verumetiam Ethnici ſaniores, Beroſus Chaldæus, Hieronymus Ægyptius, Mnaſeas, Manethon, Hecataeus Abderita, Hellanicus, & alij complures earum veſtigia adorauerint.*

Veſtigia Bibliorum ſaniores Ethnici adorárunt.

*Ex his*

*Ex his igitur facilè colligere possumus, illarum præstantem sapientiam, dignitatem & maiestatem esse, ad quam homo ab initio conditus est. Etenim licet cæterarum quoq; disciplinarum notitiâ carere haud possimus: tamen hoc mundo vtimur tanquam non vtentes, ac totum vitæ cursum eò dirigimus, vt tandem aliquandò in portu vitæ sequentis conquiescere benignè concedatur. Quocircà cùm non tantùm mortali, quæ ἐφήμερός & fugax & momentanea est, sed etiam æternæ vitæ hæc scientia seruiat, finem profectò, si quis rem ipsam recta reputauerit via, longè excellentiorem assequitur. Sed vt ea, quæ dico, confirmata, certa & rata sint, accedunt promissiones diuinæ de efficacia Historiæ Propheticæ & Apostolicæ, præsertim Esaiæ quinquagesimo quinto capite: Sicut descendit pluuia & nix de cœlo, & illuc non reuertitur, sed inebriat terram, & facit illam gignere, & dat semen seminanti atq; panem comedenti: ita erit Verbum meum, quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet, quod volo, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Et Psalmo quadragesimo quinto de vi Verbi diuini scribitur: Sagittæ tuæ adeò acutæ, vt populi sub te cadant in medio inimicorum regis. His verò promissionibus euentus respondit, quandoquidem Historia Prophetica & Apostolica eò vsq; processit, vt omnes terras, omnia maria, omnes gentes græcas & barbaras commouerit: & Ecclesias ministerio Prophetarum & Apostolorum non in obscuris & ignotis, sed in clarissimis & celeberrimis orbis terrarum locis, Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, Alexandriæ, Romæ & alibi constituerit.*

Promissiones de efficacia Historiæ Propheticæ & Apostolicæ.

Effectus.

*Hæc igitur cùm ita ſint, nullam occupationem homine digniorem, nullam ſapientiam liberaliorem atq; ſublimiorem eſſe cenſeamus.*

Dominus Philippus florem ex Biblijs decerpſit.

*Sed quia nobis cum Deo prima ſocietas eſſe debet, Dominus Philippus Melanthon, piæ memoriæ, ex vtroq; Inſtrumento, veteri & nouo, Antiquitatis & Hiſtoriarum florem decerpſit: ac præter ſtudium veritatis, quæ eſt oculus narrationum, tam delectum rerum, quàm iudicium acerrimum, & condimenta ſententiarum adhibuit, intertextis gnomis aureis, quæ conſilia & actiones vitæ gubernant vniuerſas. Nemo autem id meliùs quàm ipſe de ſe præſtare potuit. Primùm enim cùm Philoſophia amet ſermonem proprium: & negotijs, de quibus dicendum eſt, certas metas & limites circundet, hic vir omniũ ferè artium ſtudia excitauit, et tanquam alter Prometheus methodi igniculo pectora mortaliũ mirabiliter finxit, & formauit. Doctrinæ autem ſacræ hypotypoſin in Locis Communibus inuentuti propoſuit, quod volumen cum veterum in eo genere libris non ſolùm conferendum, verumetiam iiſdem anteferendum eſt. Poſteà in vtrumq; Teſtamentum prorſus aureolos & magni pretij Commentarios Eccleſiæ reliquit, qui propè ad ideam perfectæ ac conſummatæ interpretationis atq; enarrationis accedere queant. Cumq; orationis Theologicæ ſingularis ſit virtus, vt verbis exquiſitis atq; illuſtribus vtatur: omnemq; ſiccitatem, duriciem & obſcuritatem deuitet, in eam curam ita incubuit, vt Scriptorio Theologo inſtar canonis vel legis eſſe poſſit. Prætereà idem Me-*

Nemo meliùs quàm Philippus Chronicon texere potuit.

lanthon

lanthon non tantum in palæstra & vmbraculis Academiarum, verumetiam vt summus Theologus, & magister doctissimorum nostri seculi Theologorum, in Comitijs imperij Romani, & in acie disputationum & colloquiorum de religione, crebrò versatus est. Hoc autē in vitæ curriculo quemadmodum Sanctus Lucas Euangelista Diuo Paulo Apostolo συνεργὸς & comes peregrinationū fuit individuus: & à latere ipsius, quod aiunt, nunquam discessit: ita se Melanthon Luthero, veræ de Deo doctrinæ instauratori, laborum, periculorumq; socium præbuit: ac mira vi ingenij & dexteritate prorsus diuina controuersias ad explicatissimam methodum reuocauit. Estq; admiratione dignissimum, quod ad istorum duorum conciones diaboli nostro seculo contremuerunt, & in multis Germaniæ, aliorumq; regnorum locis cesserunt, quemadmodum iam olim Dæmones nato Christo, æterni Dei filio, nequitiæ suæ & idolomaniarum latebris desertis conticuerunt: id quod Nicephorus libro primo, capite decimo septimo de Apollinis Pythij ad Augustum Cæsarem responso satis testatum fecit. Deinde verò in Chronico retexendo maturitas ætatis, prudentia senilis, & cygnea cantio Domini Philippi Melanthonis accessit, qualis in condendo Panathenaico Isocratis, oratoris singularis, fuisse perhibetur. Neq; enim ille vir recusauit, quò minùs vel in extremo vitæ spiritu, si quam opem, vtilitatemq; Ecclesiæ ac reipublicæ adferre posset experiretur. Hac igitur de caussa Iocaste regina in Phœnissis Euripidis optimum φίλτρον seu viaticū senectuti tribuit, vsum

atq;

Melanthon non solum in palæstra. Verumetiā in acie versatus est.

Ad conciones Lutheri & Philippi nostro seculo Diaboli contremuerunt.

In Chronico Philippico texendo maturitas ætatis & prudentia senilis accessit.

atq; experientiam rerum, cum ad filium Eteoclem inquit: ὦ τέκνον οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον: O fili, non omnia mala senectuti adsunt, sed experientia habet aliquid dicere sapientius, quàm iuuenes. Imitatus est hunc locum fœlicissimè Poëta latinus in sexto Metamorphoseos, vbi Pallas anum simulans Arachnen his verbis compellat: Non omnia grandior ætas Quæ fugiamus habet, seris venit vsus ab annis. Quapropter cùm iudicium limatum & politum ex earum rerum cognitione, de quibus instituitur, & à maturitate ætatis proficisci oporteat, vtrumq; dono quodam prouidentiæ diuinæ Melanthoni contigit. Ideoq; quod Marcus Cicero de Seruio Sulpicio in nona Philippica pronunciauit, omnes qui ex omni ætate, in ciuitate Roma intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpicio non esse comparandos: id Præceptori nostro in censuris et controuersijs religionis meritò tribuere possumus. Hæc aũt pars Chronici in senecta mundi, vbi omnia contentionum, inuidiæ, odiorum immaniũ, simultatũ, fastus & superbiæ plena sunt, ad doctrinæ cœlestis cognitionẽ, & alendam pietatem adolescentibus maximè conducit. Posteà verò iudicium in ætate lubrica, quod valdè imbecille est, conformat & acuit: & ad caussas graues intelligendas idoneè præparat. Deniq; prodest ad actiones & mores nostros cum laude regendos. Viuunt nunc multi in diem reuulsis disciplinæ vinculis, neq; ad certam normam vel doctrinam sua consilia dirigunt, sed quò vel leuis aura, vel venti sæui impellunt, eò cupiditatibus feruntur & rapiuntur. Estq; hæc

Vtilitates illius partis Chronici multò amplissimæ.

cæca

cæca & temeraria viuendi ratio, indigna homine: vel via lubrica, qua ingredi sine casu aut prolapsione vix possis. Sed non solum hoc doleamus, quod aliqui per se feri sunt, verùm id, quòd latiùs opinione tantum malum disseminatur, & paulatim longiùs serpit, quemadmodum olim romæ vitia primùm in vrbe per singulos ætatum gradus nata, ac mox per totam Italiam, prouinciasq; romanas latè diffusa, barbariem attraxerunt. Sed cohibeo animum, ne quem illa dicendi libertas offendere possit. Est enim hæc temporum culpa. Istud verò confirmare ausim, cùm Historia Prophetica & Apostolica se peccatorum, vitiorumq; expultricem esse profiteatur, adolescentes ferociores, si huic disciplinæ se excolendos tradiderint, intra breue tempus mitescere, & quasi cicurari posse. E conuerso autem qui eam negligunt & illiberaliter contemnunt: ac vel sollicitudine victus, vel gloriæ siti excruciantur, illos perpetuò in prophanitatis & impietatis pelago iactari necesse est. Scribit Plato in Timæo: & Iustinus Martyr ex Platone repetit in Paræneticò, Solonem de vetustatis memoria ex sacerdotibus Ægyptijs quæsisse: atque expertum esse, neq; seipsum, neq; alium Græcum quenquam rerum antiquarum cognitionem habere: eamq; ob caussam illum, vt sacerdotes ad sua narranda prouocaret, de remotissimis quibusq; ciuitatis Atticæ, vt de Phoroneo, Niobe, Deucalione, Pyrrha, eorumq; posteritate: & quibus ætatibus singula contigissent, disseruisse. Eo tempore vnus ex sacerdotibus, grandis natu in hæc verba prorupit: ὦ Σόλων, Σόλων, ἕλληνες ἀεὶ παῖδες ἐστέ, γέρων δ' ἕλλην οὐκ ἔστιν: O Solon, Solon,

Deploratio status nostri seculi.

vos Græci ſemper pueri eſtis, nec quiſquam in Græcia ſenex eſt. Percontante autem Solone, cur id diceret, illi reſpondit: νέοι ἐστὲ εἰπεῖν πὰς ψυχὰς πάντες. ὐδεμίαν γὸ ἐν αὐτὰις ἔχετε δι' χρόνου ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, ὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν ὐδέν: Quia iuuenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia. De iſto colloquio Solon, ſapientum ſapientiſſimus, Athenas reuerſus Critiæ narrauit, atq; eo ipſo motus eſt, vt hiſtoriam ſcribere inſtituerit. Hæc obiurgatio grauis, quæ tamen nihil acerbitatis habet, quantò magis ad contemptores Hiſtoriæ Propheticæ & Apoſtolicæ, cuius Epitomen Chronicon Carionis Philippicum complectitur, accommodari poteſt. Tales enim quid aliud, quàm brutæ animantes videri poſſint, quæ ſolummodò ad paſtum abiiciuntur, cùm non in cœlum intueantur, vndè genus & originem ducimus, ſed in terram oculos perpetuò defigant. Cumq; Socrates, modeſtus homo, & opinione excellentis doctrinæ ac virtutis veteribus celebratiſſimus profiteatur, hoc vnum ſe ſcire, quod nihil ſciat: iſti contemptores è conuerſo id vnum neſciunt, quod nihil ſciant.

Hiſtoriam Propheticam & Apoſtolicam Eccleſiaſtica in Chronico excipit.

Hiſtoriam Propheticam & Apoſtolicam Eccleſiaſticam in Chronico excipit, cuius ſummam Euſebius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus & alij conſcripſerunt: atq; oſtenderunt, quid vetus Eccleſia de pleriſq; controuerſijs deciderit. Inprimis verò Epiphanius Conſtantiæ Cypri quondam Epiſcopus, vir eruditiſſimus & ſanctiſſimus, hæreſium confutationem inſtituit, cui tam multæ narrationes inſertæ ſunt, vt continuam propemodum Hiſto-

De Scriptis Epiphanij.

riam

riam Ecclesiæ veteris excerpere possimus, si quis prudenter membra colligere, coagmentare & dispensare velit. Cùm igitur studiosis pietatis & bonarum artium non tantùm voluptatis caussa antiquitas cognoscenda sit, sed ad erudiendas mentes & corroborandas sententias veras omnium temporum iudicia & testimonia conquirere oporteat, ex his authoribus denuò noster Melanthon vtilissimum, ac æternitate dignum laborem discentibus consecrauit. Atq; ibi rursum ingenium eius, ὀξύτητα καὶ ἀγχίνοιαν diuinitùs eluxit, quandò apud animum perpendimus, quo studio, iudicioq; singula scripta: quanta prudentia, simplicitate ac perspicuitate elaborata: & incredibili quadam dexteritate ad vsum Ecclesiæ accommodata sint. Etenim cùm norint omnes, maiorem & difficiliorem non esse artem, quàm de controuersijs religionis expeditè decernere, easq; ad lapidem lydium Scripturæ sacræ referre posse, eandem artem in ipsa cura & meditatione obeundi sui muneris, cum Luthero probissimè calluit, vt ab his duobus non solùm in Germania, verumetiam in regnis exteris consilia de caussis grauissimis peterentur. Sed vt hæc in animos auditorum incurrant, quam multi Theologi & iam olim et nostro seculo in dyudicationibus aberrârunt, quos pro vestra prudentia, quasi oculis designare potestis. Namq; illi nimia palmæ acquirendæ cupiditate longiùs prouecti in delitationibus, à via regia vel ad dextram, vel ad sinistram deflexerunt: atq; istis hoc accidit, quod Dionysio Alexandrino vsu venit. Is enim dum Sabellio, Libyco hæretico, acriùs, non quidem improbitate mentis, sed nimio

In Historia Ecclesiastica ingeniũ Melanthonis diuinitùs eluxit.

Præstantia Melanthonis in dirimendis controuersijs Ecclesiasticis.

Dionysius Alexandrinus non improbitate mentis, sed nimio contentionis studio labitur.

contentionis studio repugnauit, eo fine, vt victoria illustrior euaderet, in malum contrarium clàm delatus, à vera doctrina declinauit, & vitiosæ sententiæ περὶ τῦ ὁμοιέυ, hominibus seminarium præbuit. Itaq; essentiæ diuersitatem & potentiæ diminutionem, gloriæq; variationem statuit. Quam quidem ob caussam Diuus Basilius in Epistola ad Maximũ Φυτικόμον ipsum comparat, qui dum tenellæ arboris distortionem emendare conatur, τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς, seu retractione immodica peccans, à medio aberrauit, & germen in contrarium deduxit. Sed nostro tempore Flacius Illyricus Dionysij similimus euasit, quandò in conflictu eò dementiæ processit, vt peccatum substantiam esse fingeret: ac ne quidem satis commonefactus atq; ex Verbo Dei edoctus, cœpto desisteret. At verò noster Melanthon etiam subtilissimas hæreses, qualis fuit Hosiandri & reliquorum, incredibili ad inuestigandum sagacitate deprehendit, detexit, atq; ex intricatis labyrinthis, recessibus & latebris principis tenebrarum Diaboli, in lucem Ecclesiæ produxit. Itaq; non solùm Papam romanum & satellites pontificios, verum etiam Anabaptistas, Antinomos, Svvenckfeldianos, & totam illam cohortem Satanæ prætoriam, hactenus materiam & segetem suæ laudis sortitus est.

Error Flacij Illyrici.

Melanthon inanem speciem gloriæ contempsit.

Reliqua verò, quæ habent speciem gloriæ, collectam ex inanibus splendoris cuiusdam & opulentiæ insignibus, in vniuersum contempsit. Præterea luci doctrinarum per hoc salutare organum accensæ vita consentanea erat, plena optimorum exemplorum pietatis, castitatis, temperantiæ, & aliarum virtutum. Alieniſsima verò ab ijs, qui nunc cauponari Euangelium,

gelium, non belligerari videntur. Et accessit incredibile atq; inimitabile erga omnes mortales benè merendi studium, quod testari possunt, quibus vel consilio & commendationibus profuit, vel in quos liberalitatem suam contulit. Hanc igitur gloriam, quæ est solida quædã res et expressa, non adumbrata, quemadmodum orator loquitur: consentiens item laus bonorũ, & incorrupta vox benè iudicantium de virtutibus excellentibus, neq; inuidi, neq; inimici & hostes ei adimere possunt. Sed eandem artem summam in certaminibus & controuersys Ecclesiæ tractandis, pro ingenij finibus penè immensis etiam in Chronico retexendo adhibuit, & tam prælia iudicio synceriſsimo diremit, quam hæreses commonstrauit. Cumq; veterum Patrum Scripta prudenter euoluenda sint, quod alicubi contra analogiam fidei in dogmatibus, non quidem prauitate mentis, sed imbecillitate labantur: atq; interdũ affectibus indulgeant: vel à gentibus, apud quas vitã exegerunt, nonnihil contagij trahant, de his singulis Dominus Philippus Melanthon in Chronico candidè censuram suam exposuit, ne imperitiores authoritate illorum intercipiantur. Neq; etiam raro tuendæ veritatis causſa inter eosdem Patres Ecclesiæ litigantes arbitri honorary munus suscipere coactus est, vt quandò in controuersia de libris Origenis sententiam Epiphanij, quàm Chrysostomi iustiorem esse pronunciauit. Hæc merita, quibus doctrina cœlestis & agnitio Dei retinetur, Ecclesia propagatur & multi liberati à tyrannide Diabolorum ad vitam æternam reuocantur, non minora rebus gestis Cyri, aut Iulij Cæsaris esse statuamus. Ideoq; in multarum gentium ser-

Philippus summam artem in Chronico adhibuit.

Melanthon censor sanctorum Patrum in Ecclesia.

Melanthon arbiter honorarius inter Patres Ecclesiæ litigantes.

monibus ac mentibus semper hærebunt, literarum monumentis inueterascent & corroborabuntur. Nos verò pro continuatione, coniunctione, concentu atq; consensu, qui inter docentes & discentes esse debet, & quam græci συμπάθειαν vocant, meritò ipsi nomen Oecumenici, vel communis in orbe terrarum Præceptoris tribuere possumus, quod ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitramur, extare, quem honorem defuncto exhibuerimus. Sed hîc me non fugit, nonnullos ex discipulis patientia illius abusos esse erga doctorem optimum, quorum oratio etiamsi fragrans & rosæ similis esse videtur: tamen spinis & aculeis circundata est. Horum maleuolorum & maledicorum hominum iudicia ferè talia esse censeamus, qualia Calui & reliquorum de eloquentia Ciceronis fuerunt, non ex notitia facultatis oratoriæ, sed inuidia, liuore, malignitate, prauitate ingeniorum & distortione, cæterisq; infirmitatis humanæ vitijs profecta. Et huc referri posse existimemus locum Platonis in Apologia Socratis: ἡ πολλῶν διαβολήτε καὶ φθόνος. ἃ δὴ πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας ἤρηκεν οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν, οὐδὲν δὲ δεινὸν, μὴ ἐν ἐμοὶ στῇ: Multorum calumnia & inuidia me perimit: Quæ quidē alios quoq; multos viros bonos peremit hactenus, & vt arbitror perimet. Nihil autem graue vel mirum, si in me obesse non desinat. Hæc verò Magnifice Domine Rector, illustris Comes, reuerendi & clarissimi viri, cum corona iuuenum nobilissima, dum ad laudandum Melanthonem in medium adfero, idem mihi facere videor, ac si faces Soli quod dicitur, ad eum illustrandum admouere velim, cùm præsertim eius virtutibus nulla eloquentia par esse possit.

Melanthon Oecumenicus vel communis præceptor orbis terrarū.

De ingratitudine discipulorum quorundam.

Pag. 11. in græco exemplari.

Cæterùm

*Cæterùm in eo membro Chronici Philippici, vbi de rebus Ecclesiasticis agitur, vtilissimum est scire, quid illa ætas à prima progenie Apostolorum proxima statuerit, quandoquidem secundum Tertullianum: Primum quodq́ verissimum est, posterius adulterinum. Quemadmodum enim inter peregrinandum non solum splendorem ædificiorum & arces, verumetiam mores & sensus hominum considerare solemus: ita in Historijs non tantùm virtutes illustrium virorum, sed etiam genera doctrinarum contemplari debemus. Deindè etiam scire oportet, quandò errores superstitiones, abusus & hæreses more serpentum in Ecclesiam irrepserint, ex quibus regnum pontificium conflatum est. Nam sicuti in fabula de Gigantibus narratur, ex eorum sanguine terram statim alios Gigantes produxisse: ita ex hæreticis veteribus subindè noui exorti sunt, atq́ instar Protei vel Empusæ monstri, varias in formas sese verterunt. Neq́ verò abs re existimetur, cogitare, quæ caussæ sectarum multiplicium extiterint, quandoquidem Iustinus Martyr Quæstione quarta ad Orthodoxos, has in leuia, contentiosa & ambitiosa ingenia transtulit, inquiens:* Νῦν καθὰ κατακρίνουσιν ἀλλήλους ἐπὶ τῷ ἀλλοτρίῳ τοῦ φρονήματος, δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἐκ φιλοδοξίας ἢ αὐτιπαθείας τῶν αἱρεσιαρχῶν πᾶσαι αἱ αἱρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἐσχήκασι τῆς συστάσεως αὐτῶν, δι' ἣν αἰτίαν λύκοι βαρεῖς ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου ὠνομάσθησαν οἱ τῶν αἱρέσεων ἀρχηγοί: *Cùm damnent alij alios ob opinionũ dissensiones, perspicuũ est, omnes eorũ hæreses occasionem habuisse ex ambitione, & mutua, inuidia hæresiarcharum, propter quam caussam lupi graues ab Apostolo nominati sunt authores hæresium. Ex quibus singulis liquidò apparet, non omnium ætatum eandem doctrinæ puritatem fuisse.*

Vtilitas eius membri in Chronico amplissima.

Caussæ hæresium multiplicium.

Pag. 239.

*Præterea*

Præterea in ista parte Chronici Carionis Philippici videmus, quomodo Ecclesia in persecutionibus particularibus & vniuersalibus a tyrannis oppugnata, circundata & circumuallata fuerit: & quomodo, sicut Propheta loquitur, instar infantis in specu aspidum sederit, & cum basiliscis luserit. Quemadmodum enim infans inter venenatissimas bestias, nec pro ætate magnitudinem discriminis perspicere potest, nec præsidijs firmis aduersus illas munitus est: ita cœtus credentium non prorsus intelligit latebras, recessus & loca insidijs apta suorum hostium: & pluribus armis, quæ quidem cerni possunt, oppugnatur, quàm defenditur: atq; nihilominus mirandis modis a filio Dei inter ipsos imperiorum fluctus & ruinas conseruatur.

Persecutiones Ecclesiæ particulares & vniuersales in Chronico.

Deinde verò ibidem obseruare licet, quando tranquillitas Ecclesiæ concessa sit, ne prorsus ad vastitatem vocaretur. Prodidit Plutarchus de industria animalium, quod Halcyoni mare circa solstitia totum tranquillum, placidumq; parienti sternatur. Vnde nullum est animal, quod quidem colunt homines, cuius beneficio septem perpetuos dies, ac noctes totidem media hyeme liberè nauigetur, omni tùm per maria profectione, longè quàm per continentem tutiore. Fingit enim Halcyon, quemadmodum idem author refert, vel potius nauis instar fabricat, noua figuræ genere opus, solum euerti, mergiq; fluctibus nescium. Componit quippe, deuincitq; conserens inuicem acus piscículi spinas, & rectis alijs ceu stamini, transuersas alias veluti subtegmen implicat, mox consertum recuruat, & in orbem reducit, ac sic coaptat deniq;, vt opus nauigij specie turbinatum, ac qualo propemodum piscatorio

Halcyonia Ecclesiæ in Chronico.

piscatorio oblongiusculo simile euadat. Perfectum littori, quò fluctus extremi pertingunt, applicat: hic vnda molliter feriens, nondum firma satis, hiantiaq; procellarum verbere deprehensa, sarcire docet: solida verò & iam cohærentia constringit, figitq; adeò, vt nec saxo, nec ferro dissolui, diffringiue facilè queant. Qua quidem in re magna cum primis admiratione dignum ostiolum est, sic modificatum, figuratumq;, vt hanc vnam subeuntem recipiat, cæcum cæteris & abditum: ac aliud prorsus nihil admittens, ne vndarum quidem.

Vtilitas verò huius membri in Chronico Carionis Philippico summa est, quia nemo sine illius cognitione nomen Theologi vel Oeconomi mysteriorum Dei tueri potest. Sunt enim eo in loco non adumbratæ, sed expressæ quædam imagines præsentium certaminum, de quibus ex veteribus controuersijs iudicium sumi debet. Etenim præter persecutiones synceræ relligionis in Italia, Gallia, Hispania, & alibi, in Ecclesijs bellum domesticum geritur: ad factiones & partes decurritur: & suam quisq; sententiam, interdum non tàm studio veritatis tuendæ, quàm spe gloriæ, vel quæstus gratia pertinaciter, & quidem sæuicia styli defendere conatur: ac quibuscunq; potest modis aduersarium conuicijs proscindit & criminatur, haud perpendens apud animum, quæ & quanta scandala in populo Dei excitentur. Inprimis autem peto, quæsoq; attendatis, quàm multi de industria hoc nunc agant, vt intestinam aliquam quotidiè perniciem Ecclesiæ moliantur, & sine caussa voluntates distrahant, cùm consilia & actiones, salua tamen relligione & conscientia, ad homines consociandos & fouendam

Nemo sine ista parte Chronici nomen Theologi tueri potest.

Accommodatio ad præsentia tempora.

dam mutuam beneuolentiam referre debeamus. In tanto ictu calamitatum, nemo est tam à pietate auersus & mente captus, qui non toto pectore cohorrescat, eiusmodi Ecclesiæ dilacerationem fieri, cùm præsertim inter tot certamina nonnunquam dijudicatio inperitioribus perdifficilis sit: & à multis, certè non malis, dubitetur, quem portum in tantis tempestatibus tenere debeant. Sed vt olim Dei ductu & beneficio Ecclesia ex pelago persecutionum, errorum, hæresium & calumniarum emersit: ita nunc quoq; in panicis terroribus, qui persæpè oriuntur, viri pij & docti diuinitùs excitantur, qui puritatis doctrinæ ac synceræ religionis patrocinium suscipiant. Præterea in Chronico Carionis Philippico quantum ad magnitudinem rerum politicarum attinet, tùm monarchiarum, tùm regnorum inferiorum & rerumpublicarum ordinem ac seriem complectitur: in qua parte regiminum initia, progressiones, incrementa, decrementa & occasus diligenter intueamur. Quid enim magnificentius aut gloriosius est mundi imperijs, quæ Spiritus sanctus tanti facit, vt de his per Prophetas: atq; inprimis per vnum illud par nobilissimum, Esaiam & Danielem, in quos Deus omnia dona & ornamenta contulisse videtur, vaticinatus fuerit. Quanquam ijsdem in nouo etiam Testamento Diuus Paulus, doctor gentium, decimo tertio capite ad Romanos murum adamantinum circumdedit. Sed splendorem monarchiarum designat arbor amplissima & pulcherrima, à Nabugdonosore Magno secundum quietem visa, cuius proceritas cœlum tetigit, & latitudo vsq; ad fines terræ porrecta fuit. Hæc enim

Consolatio ex Historia Ecclesiastica petita.

De magnitudine rerum politicarum in Chronico Philippico.

Splendor Monarchiarum in Daniele Propheta designatur.

bestys

beſtijs terræ vmbram præbebat: ac præterquam quod in ramis eius volucres cœli nidos ſtruerent, ex ea cibum capiebat omnis caro, quemadmodum Scriptura loquitur. Iſtis igitur imperijs Deus authoritatem conciliauit & adiunxit, quod illorum fundator & gubernator eſt. Cumq; tam horum quam rerum in eis gerendarum ideam mente comprehenſam teneat, illa conferendi ac transferendi poteſtatem ſolus habet. Quam quidem ob cauſſam in Nino, Dario Medo, Cyro Perſa, Alexandro Macedone, Lucio & Publio Scipionibus, Iulio Cæſare & Auguſto impetus heroicos ſupra communem hominum captū accendit eisq; fœlicitatem raram, proſperam & æquabilem, quam præſtare de ſeipſo nemo poteſt, largitur. Ideoq; ſani omnes meritò ipſos admirantur & gratiſſimis animis proſequuntur. Eadem verò regna iuſticia ſtabiliuntur: atq; è conuerſo propter impietatem, iniuſticiam & luxuriam nutant, ruunt & collabuntur, vel ad aliam gentem deuoluuntur. Iantarum rerum memoriam Deus nobis in Bibliis & in authoribus ethnicis grecis & latinis conſeruauit, de quibus hoc in loco dicere præſentis inſtituti non eſt. Ex his verò Melanthon noſter, quod ætate cæteris anteiret, ſapientia omnibus: & de negotijs in imperio romanorum Germanico: momentis item, cauſſis & occaſionibus prudenter iudicare poſſet, denuò ſumma cura, ſummoq; iudicio florem decerpſit. Et quanquam imperitioribus nihil videtur eſſe facilius, quam eiuſmodi opus conſtituere: tamen eligere ea, quæ plurimum habent momenti, & intelligere conſilia rerum geſtarum, hominis eſt non ſolum non hebetis, ſed etiam

Deus imperijs authoritatem conciliauit.

Heroes diuinitùs excitantur.

Deus conſeruauit memoriam rerum politicarum in Bibliis & authoribus ethnicis, grecis & latinis.

Melanthon cenſor rerum politicarum.

vsu periti, & in republica versati. Quo quidem in instituto viros sapientes, Polybium, Arrianum, Plutarchum, Cominæum & alios imitatus est, qui ad disciplinas liberales experientiam adiunxerunt: & quid prudenter & callidè: quid temerè & inconsultè: quid cum laude: quid cum dedecore sit actum, diligentissimè annotârunt. Posteà verò Melanthon noster tantas res ordine disposuit, ac non solùm dilucidè, verumetiam beatissima quadam facilitate atq; elegantia de manu in manus tradidit, quod nemo nisi magna doctrina & dicendi peritia excultus de se præstare potest. Proponuntur autem in eo membro Chronici exempla salutarium consiliorum, omniumq; humanorum officiorum, quæ cùm in excelso atq; illustri loco posita sint, ea plurimùm valere, omninò statutum habeamus. Quam quidem ob caussam quasi in pictura quadam luculenta, ingenioq; & gratia præstante nobis exhibentur, qui in monarchijs & regnis singulis ac rebusspublicis pij vel impij, iusti vel iniusti, casti vel libidinosi extiterunt: & quæ fœlicitas aut infœlicitas vnumquenq; comitata sit. Ac nulla mihi dubitatio relinquitur, hæc illis, qui processu temporis ad gubernationem accedent, & ceruicibus suis munia publica obibunt ac sustinebunt, plurimùm profutura esse, cuius rei grauissimos testes habeo omnes vbiq; gentium viros doctos & sapientes: Theologos, Iureconsultos, Medicos & Philosophos, qui aliquid de his studijs iudicare possunt. Et in eandem prorsus sententiam iam olim tàm dicendi, quàm intelligendi magister Cicero pronunciabat his verbis: Quam multas nobis imagines, non solùm ad intuendum, verumetiam ad imita-

Dispositio & elocutio Domini Philippi Melanthonis in Chronici rebus politicis.

Vsus eius partis in vita.

Prodest hæc pars Chronici gubernatoribus.

Demonstratio ex Cicerone & Liuio.

ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores & græci & latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. Sed cum Cicerone Titus Liuius miræ iucunditatis, clarissimiq; candoris Historicus libro primo, Decadis primæ, planissimè consentit, inquiens: Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, vndè tibi, tuæq; reipublicæ, quod imitere capias: vndè fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Hæc igitur caussa verissima est, quæ Fridericum Tertium, Electorem Saxoniæ, cognomento sapientem, mouit, vt Epitomen Historiarum sibi confici curauerit, in qua series omnium temporum & monarchiarum pingebatur. Eandem verò dum quotidiè ob oculos habuit, & in manibus versauit, persæpè in grauissimis imperij deliberationibus in vsum & aciem deduxit. Taceo in præsenti, propter angustiam temporis, quantum Historiæ ad vitæ priuatæ consilia & mores cum laude regendos conferant: & quàm mirificè mentes generosas ad virtutis amorem inflamment, vt per seſe satis, superq; commendatæ esse videantur, neq; externis floribus aut coloribus vllis indigeant. Quod autem peritia antiquitatis oratori quoq; necessaria sit, notius est, quàm vt explicationem vberiorem desideret. Etenim in primis abundare debet exemplorum copia, cùm veterum, tùm recentium, quæ plena sunt dignitatis, ac vel testimoniorum, vel iudicatorum obtinent locum. Ideoq; ex annalium monumentis testes excita-

Historia regit vitam priuatam.

Historia oratori futuro necessaria.